Q. B. V.

DISSERTATIO RHE

DE

PARABOLIS C

PROPHETI

INCLITI PHILOSOPHORV

INDVLTV,

PRAESID

ANDREA LVD

KOENIGSMA

Slesevicensi, artium

Philosophiae Magistr

in Academia Christian

a. d. Januarii

solemniter institu

a

WILHELMO SCH

Witteburgo - Meclenburg

sanctae Theologiae Stu

KILON

Literis Bartholdi Reutheri, Aca

V.

RHETORICA

E

S CHRISTI

ETICIS,

HORVM ORDINIS

LTV,

SIDE

VDOVICO

MANNO,

artium ac

Magiſtro,

riſtian-Albertina

Januarii.

inſtituta

a

SCHALLER,

lenburgenſi, ſacro-

ogiae Studioſo.

ONI,

eri, Acad. Typogr. 1708.

MAXIME. REVERENDO. AMPLISSIMOQ.

VIRO.

DNO. JOH. BERNHARDO.

SCHALLERO.

ECCLESIAE. WITTEBVRGENSIS.

IN. DVCATV. MECLENBVRGICO. PASTORI. PRIMARIO. ET. DIOECESEOS. WITTEBVRGENSIS, SENIORI. GRAVISSIMO.

DE. REPVPL. CHRISTI. MERITISSIMO.

PARENTI. SVO. INDVLGENTISSIMO.

HOC. SACRI. STVDII.

ACADEMICVM. PRAEMETIVM.

PIGNVS. SVAE. PIETATIS.

INDVSTRIAE. SOLEMNE. SPECIMEN.

DEBITVM. PATERNAE. BENIGNITATI. MONVMENTVM.

CVM. OMNI. OBSERVANTIA.

CONSECRAT

EIVS. FILIVS. AETERNVM.

OBSEQVIOSVS.

§. 1.

INter mortales Vates omnium primus iam tum fuisse Adamus videtur, cum crimine admisso, laetabundus ob clementem Dei sententiam in sempiternum rei monumentum uxorem suam Chauam appellauit, hoc est, omnis viuentis matrem. (*a*) Tanto autem eo praestantior post Mosen, illum patrem Vatum, cuius testium agmen clauserat Malachias, illud sigillum Vatum, alter Adamus, Iesus, fuit, quanto sublimior seruo Vate Dominus Vatum, & Deus Vatum, qui est de coelo: nec euangelium tantum sui regni pandit latius, sed imminentia etiam fata eius, quoad in hisce terris versaretur, *αυτοπρόσωπως* indicauit. (*b*). Cum enim esset ille magnus Vates declaratus, qui iam Mosaico promissus aeuo fuisset, (*c*) tum sui vim nominis ita impleuit, ut futura quoque per se sine somniis & visionibus, sineque omni aliena ἐλλαμψει prospiciendo, praenunciandoque, Deum sese palam praestaret. Hoc sane usus argumento Esaias, (*d*) nihil esse demonstrabat gentium deos: significate, inquit Jehoua, post hac ventura, & intelligemus, deos esse vos. Quem autem possint fugere Christi de afflictione Legatorum suorū, & consolatione, deque excisione hostium suorum, Judaeorum, diuina praesagia, cum ex annuis ea pericopis repeti toties audiamus. (e)

Christus Propheta.

 §. 2.

(a) *Gen. III.* 20. *Vid.* Kisk. *de lum. prophet. sect. I. c.* 1. §. 3. *not. b. p.* 12. *conf. Job. XIV.* 1. (b) *Aduertit quoque* Augustin. *Tract.* XXIV. *in Joh. tom.* 9. (c) Luc. *VII.* 16. *Conf. Deut. XVIII.* 15. 18. *cum Act. III.* 22. (d) *XLI.* 23. (e) *Dom. Exaudi, Jubilate, fer. Steph. Dom.* XV. *post Trin. &c.*

amans parabolarum λογικων.

§. 2. Eas vero vaticinationes partim simplici proposuit genere dicendi, partim ornatiori aliquanto & illustriori; quando usus est imaginibus, allegoriis & integris similitudinibus, quas parabolas vocant euangelii scriptores. Johannes, cui solemne, res aliquas suis singularibus vocabulis designare, *παροιμιας* (a) dixit: Cicero collationes nuncupasset. (b) Per has enim Seruator, more Syrorum & maxime Palaestinorum, quibus hoc genus perfamiliare fuisse, obseruauit, qui in illis locis vixit, Hieronymus, (c) erudire suos frequenter consueuit, adeo ut de eo, aeque ac olim de Ezechiele, dicere tunc potuerint Judaei: הלא ממשל משלים הוא / nonne artifex parabolarum iste? (d) Et ita se facturum, iam dudum spoposonderat sub Assaphi persona; (e) cuius de Christo vere valuisse verba, Matthaeus adnotauit. (f) Is cum huius comparationes aliquot coelestis regni cum naturalibus rebus recensuisset, ita pergit: "haec omnia plebi elocutus est Jesus per parabolas, & sine parabola nihil elocutus est iis, (g) ut fieret, quod "hisce praedictum a Vate verbis erat: aperiam per parabolam os meum, effabor occulta a iacto mundi fundamento. Quo minus mirum, huiusmodi velis atque umbris, ut loquitur Verulamius, (h) etiam absconditos humanae rationi casus rei publicae coelestis adeo frequenter comprehendi.

Num etiam πρακτικων;

§. 3. Quin etiam ipsa, quae a Domino facta sunt, aliquid significasse, quasi visibilia verba, (a) Christumque parabolas, etiam *πρακτικας*, atque adeo *ενηργητικας*, ut cum Rhetoribus loquar, veterum more Vatum adhibuisse, Augustinus (a) sibi videtur aduertisse, adducens inprimis

(a) X. 6. XVI. 25. 29. (b) *patet ex l. V. de fin.* (c) *in Matth. c.* XXVIII. (d) Ezech. XXI. 49. (e) *Ps.* LXXVIII. 2. (f) XIII. 34. *s.* (g) *ut notat quoque* Marcus IV. 33. *s.* (h) *praef. libri de Sap. veter.* (a) *Sic* Augustinus *vocat de doctr. Christ.* II. 3. *Quaest. Euang.* I. 68.

mis illud, quod praeter tempus poma quaesiuit in arbore, & quia non inuenit, arbori maledicens aridam fecit. (c) Hoc factum, inquit, (d) nisi figuratum accipiatur, stul- " tum inuenitur: primo quaesisse poma in illa arbore, quan " do tempus non erat, ut essent in illa arbore; deinde si " pomorum iam tempus esset, non habere poma, quae " culpa arboris esset? Sed quia significabat, quaerere se " non solum folia, sed etiam fructum, id est, non solum " verba, sed etiam facta hominum, arefaciendo, ubi " sola folia inuenit, significauit eorum poenam, qui loqui " bona possunt, facere bona nolunt: quos vocare ad imi- " tationem Pacuuii (e) possis homines ignaua opera, & " Theologa sententia. Vtrum vero haec quoque mens fuerit Iesu, (f) an potius meditatio ipsius Augustini, cui non infrequens erat, ex oraculis facere similitudines rerum? id quidem peculiarem poscit disquisitionem. Espagnius (g) certe arbitratur, quod uti virga una nocte florescens incrementum, (h) ita ficus arescens decrementum Aaronici inprimis Pontificatus totiusque status Leuitici praesignificarit. (i) Sed nobis in praesentia non nisi de λογικαις est sermo, quibus Dominus oratione usus, futura praemonuit. Quo minus enim ea res cognita est vulgo, eo magis nobis visi sumus operae pretium facturi, si ex consideratione ipsorum exemplorum generalem quandam eius notitiam exstrueremus, &, tanquam partem Rhetoricae & Logicae sacrae, publicis in dissertationibus in lucem adspectumque proferremus, ut singulatim de natura parabolarum propheticarum unicuiuis constaret.

Propheticae quod exsistant.

§. 4. Dari autem istiusmodi parabolas propheticas, vel

(c) Matth. XXI. 19. Marc. XI. 13. 14 *ubi vid.* Beda. (d) *Serm.* LXXIV. *de temp.* (e) *apud.* Gell. XIII. 8. (f) *Vid.* Finck. *can. cent.* III. *can.* II. *p. m.* 16. *s.* (g) Wunder Gottes in Ubereinst. der Zeit *part.* II. *p. m.* 741. (h) *Num.* XVII. 8. Christ. von Stöcken *de virga Aaronis florida c.* VIII. (i) *Conf.* Luc. XIII. 6. *ss.*

vel ipsa nos inspectio conuincit: nam, ut aliqua tantum adducamus exempla, quis negabit, parabolam esse illam de nuptiali conuiuio Regis apud Matthaeum, (*a*) in eiusque προτασει prophetiam inesse de excidio Hierosolymorum prorsus fatali? (*b*) quis ergo negabit, esse eam parabolam propheticam? Similiter in αποδοσει parabolae de malis herbis, inter frumentum satis, & de euerriculo, in mare iacto: sic, inquit, futurum est in aeui fine, (*c*) & quae sequuntur; quis hanc quoque diffitebitur propheticam esse parabolam? Quid? quod illa de decem virginibus velut ipsa fronte prodat, cuiusnam sit generis, dum hanc habet inscriptionem: τοτε ομοιωθησεται η βασιλεια των ουρανων δεκα παρθενοις. (*d*) Cuius modi cum sint aliae plurimae, has praecipue respexisse videtur Justinus Martyr, vel quisquis antiquitus fuit autor Quaestionum & Responsionum ad orthodoxos, (*e*) cum parabolam generatim definiret, quod sit λογος ομοιοτητα περιεχων του γεγονοτος πραγματος προς το εσομενον. Ergo iam tum ille agnouit parabolam propheticam: (nam licet sane propheticam appellare, quae ita refertur ad futurum:) neque adeo cum parabola confudit typum, uti quidem Glassio videbatur. (*f*) Adeo non est generale, quod ille Peripateticus, (*g*) quid intersit inter παραδειγμα & παραβολην, docturus, hanc tradit confirmare factum, illud factorum ope fururum probare: η δε παραβολη, inquit, εικων εστιν, ομοιοτητα προς τι γεγονος σημαινουσα. Nam & futurum spectare parabolam, vel usus nos docet Seruatoris, qui se ipsum etiam hoc nomine recte profiteri Prophetam poterat. (*h*) Eam vero licet ab αινοις quoque differre voluerit ipse Stagirita, (*i*) quos posterior aetas απο-

(a) XXII. 2. *ss.* (b) *v.* 7. (c) Matth. XIII. 40. 49. (d) XXV. 1. *resp.* LX: (f) *Phil. Sacr. II. part.* 1. *tract.* 2. *sect.* 5. *art.* 2. *p.m.* 340. (g) *in libr. VIII. Top. apud* Vict. *comm. in Rhet. Arist.* II. *p.* 374. *edit. Flor.* (h) Matth. XIII. 57. Marc. *VI.* 4. Luc. *IV.* 24. Joh. IV.

απολογους vocauit, quales erant Aesopei & Lybici seu Africani, admodum tum celebres, hae tamen, quas propheticas declaramus parabolas, limitibus tam angustis non circumscribuntur.

§. 5. Sunt ergo parabolae Christi propheticae, orationes, mori ac genio accommodatae Judaeorum, quibus rerum terrenarum similitudinibus accersitis, abscondita sui regni fata, & euenturos casus ciuium eius praesignificauit Vates Jesus, ut simul vel edoceret auditores de gratia Dei, vel ad officia pietatis ipsis digna ea ratione hortaretur. Cum enim sua semper verba hominibus, quibuscum loqueretur, attemperaret, (unde etiam memoratur, quod locutus fuerit, καθως ηδυναντο ακουειν) (a) tum diuersae eum nonnunquam perpellebant caussae, ut istiusmodi quasi picturis uteretur, in quibus sane conueniebat tam abdita, atque a sensu longissime remota, velut eminus intueri. Et tales pleraeque sunt parabolae Matthaeanae capite XIII. XIIX. XX. XXI. XXII. XXV. Marci item capite IV. & XIII. & inprimis Lucae capite VIII. XIII. XIV. XV. XVI. XIX. consignatae, in quibus euoluendis ingenia sua mirifice exercuerunt Theologi Reformati, quorum nos decet industriam aemulari. *Earum natura definitione euoluta.*

§. 6. Sed quoniam aliae quoque exstant parabolae, quibus ad futura non aeque intendens oculum, exposuit tantum Dei de hominum salute aeternum consilium, vel ad obsequium ei praestandum excitauit homines, aut etiam minus obedientes reprehendit, ut in illa de duobus filiis, a patre ad laborandum in vineam ablegatis, apud Matthaeum, (a) de iudice iniusto apud Lucam, (b) de malis pastoribus, eorumque notis, apud Johannem, (c) ab his necessum est nostras cum cura dignoscere, ac separare. Est itaque harum communis character externus, si titulum gerant regni coelorum, alteri cuidam rei assimilati, ubi haec plerumque obtinet formula; Ομοιωθη η βασι- *Character externus.*

(a) Marc, IV. 33. (a) XXI. 28. ss. (b) XVIII 2, ss. (c) X. 1. ss.

βασιλεια των ουρανων, ομοια εςιν, & caetera. Illud enim regnum, quod Christus Deus & homo iam inde a primo possedit conceptionis momento, (*d*) postquam solemniter occupatum est ab ipso, cum, expugnatis inferorum portis, eueheretur ad dexteram Patris, (*e*) non cessauit illico, quippe ad finem usque mundi duraturum, quando illud Deo & Patri tradet. (*f*) Vnde colligitur haut difficulter, ubicunque hoc proponitur, ibi non solum res tunc euenientes, sed etiam ab eo inde tempore euenturas ad iudicium usque pandi, post quod inprimis ploratus audietur damnatorum, & stridor dentium, in quem saepe numero parabolae desinunt. Quo minus dubitandum, ad nostra quoque tempora Christi oracula spectare: manifesto documento, quantum omnium sui interualli saeculorum curam gesserit, doctor atque Vates vere καθολικος. Licet autem istiusmodi formula non inchoet parabolam de satore apud Marcum capite IV. (*g*) haut obscurum tamen indicium facit XI. comma, eius argumentum esse μυςηριον της βασιλεας των ουρανων· & eodem quoque modo res apud Lucam (*h*) habet.

Eius κρυψις. §. 7. Enimuero quamuis saepe huiusmodi non exstent signa, non desunt tamen alia, contextui intermixta, si modo ea attente obseruentur. Nam vel occasio dicendi nos commonefacit, aut ipsa adeo probe inspecta parabolae structura. De πρωτοκλισια quae dicta est parabola, (*a*) eam etiam ad aliquid altius pertinere, quam ad immodestiam duntaxat ciuilem in conuiuio mundano, ex multis pridem sum hariolatus. Cur enim dicit Jesus conuiuis: si fueris ab aliquo εις γαμους vocatus: (*b*) & non potius generatim, εις αριςον η δειπνον, uti deinceps hospiti dicit? (*c*) nisi illos respicit γαμους, de quibus Matthaei XIII. (*d*) narrat. Sane sublimius esse, quod innuitur, vel ex illa patet

(d) Luc. *I.* 32. *ff.* *II.* 11. (e) *Eph. I.* 20. *ff.* (f) 1. *Cor. XV.* 14. (g) *v.* 3. *ff.* (h) *VIII.* 4. *ff.* *coll.* 20. (a) Luc. *XIV.* 7. (b) *v.* 8. (c) *v.* 12. (d) *v.* 2.

tet generali γνώμῃ· quisquis se ipsum euexerit, deprimetur, & quisquis se depresserit, euehetur, (e) si consideretur modo, ad quid ea alias apud eundem Lucam (f) adhibita fuerit, & apud Matthaeum. (g) Nimirum etiam ab ambitione in regno Dei deterrere audientes voluisse, indicatione futurae ignominiae, & ad ultimum locum reiectionis, & ita quoque sermonem cepisse unum conuiuarum, haec eius tantum non exclamatio persuadet, ex profunda coelestis conuiuii meditatione profecta: felix, qui cibum capiet in diuino regno! (h) neque aliter magnus noster Gerhardus explicauit. Minus hic dici, plus significari, Hugo Grotius putabat, idque esse παραβολῆς. Ergo ea παιδευτικη quidem, si propositionem spectes, sed, si rationem ac totum fundamentum, προφητικη. Qui volet aliam huius arrogantiae imaginem, & superbiae maturum exemplum in filiis Zebedaei, & fastiditarum a Judaeis gentium poenam, adeat Matthaei XX. (i) & Actuum XIII. (k) & videbit.

Character internus.

§. 8. Quilibet ergo vel hinc intelligit, quam accurate prius inspiciendum sit totum parabolae corpus, quam ex propheticarum numero eximatur. Et vero alter isque internus harum character, est ipsa materiarum propositarum natura; quae si sint res futurae, casusue, regno Christi tum adhuc imminentes, manifestum est, propheticam esse parabolam. Id autem cum ex similitudine apparet, tum inprimis ex mysterio assimilato adeo clare cognoscitur, ut infitiari debeat nemo. Quis enim conuiuarum non facile intellexisset, quid sibi voluerit Jesus, cum eodem ipso, quod indicauimus, Lucae capite (a) de homine, magnam apparante coenam, narraret, hospitibus, hora coenae inuitatis, sese excusantibus, patrem familiae dixisse seruo suo: egredere e vestigio in urbis areas, atque vicos, & pauperes mutilosque & claudos & caecos huc introducito, eoque facto, denuo dixisse:

(e) v. 11. (f) XIIX. 14. (g) XXIII. 12. (h) v. 15. (i) v. 11. ff. 20. ff. (k) v. 45. ff. (a) v. 21, 23.

xisse; proficiscere in vias & in septa, & intrare coge, ut domus mea compleatur. Nam illud, inquit, scitote: neminem hominum illorum inuitatorum esse meam coenam gustaturum. Quis hic ulteriorem desiderasset ἀπόδοσιν, & quis non πρότασιν intellexisset parabolae de patre familiae, qui vineam conseuerat, & cuius seruos semel iterumque missos ingrati agricolae pessime exceperant, ab ipso eius filio manus suas non abstinentes. (b) Ne autem vel auditores dubitarent, vel nos dubitemus lectores, en illustrem ex vaticinatione Dauidis (c) ἀπόδοσιν· scitote, ablatum a vobis Dei regnum iri, & genti datum fructus editurae. (d) Hinc ipsi statim Pontifices & Pharisaei, auditis eius parabolis, de ipsis eum dicere, animaduerterunt, comprehensuri dicentem, ni vulgus, eum pro Vate habens, timuissent. (e) Et merito eum pro Vate hoc habebat, qui per parabolas tam feruide vaticinaretur: perditum iri illos homicidas; crematum iri eorum urbem. (f) Neque obstat in istiusmodi προτάσει parabolica notatio praeteriti temporis, quemadmodum hic excidium Judaicum proponitur, ut iam factum: ceu posterius (g) dicemus.

Exemplum §. 9. Quaeratur iam: num in narratione Christi de homine, in latrones incidente, apud Lucam, (a) ad mysterium regni coelorum respiciatur? & statim negabimus, quia nullum tale in contextu indicium. Affirmabimus autem, quod vel ex occasione dicendi patet, exemplum esse illud; vel si parabolam velis cum Pfeiffero (b) nominare (cum nihil obstet, quo minus aliquid reuera gestum sit, & nihilosecius parabolice usurpatum, quemadmodum & Phaedrus (c) suis fabulis historias, admiscuit, proposito inseruientes,) prophetica tamen non erit, sed historica.

Quod

(b) Matth. XXI. 33. *ss.* (c) *Ps.* CXVIII. 22. (d) *v.* 43. (e) *v.* 45. 46. (f) XXII. 7. (g) §. 15. (a) *X.* 30. *ss.* (b) *Thes. Hermen. hypomn. ad c. III.* §. 13. *can.* 21. *p.* 186. (c) *Patet ex III.* 10. *V.* 1.

Quod si conficta fuisset haec narratio, non fuisset legis peritus obstrictus ad respondendum, quomodo commate XXXIII. respondit, sed dixisset, commentum esse, nunquam euenturum, confictum in inuidiam sacerdotum & Leuitici generis hominum, inquit Lucas Brugensis. Docere autem illa voluit Seruator, quod is sit proximus homini, diligendus etiam utique Judaeo, qui in necessitate constitutus, ope consilioque alterius indiget. Vnde liquet statim, sub appellatione Samaritani neutiquam latere Christum, cuius illud magis grande conuitium erat, quam elogium; ut admodum improuide eam ad *οικονομιας* Ecclesiae, statumque hominis lapsi & redemti per Christum, referant Postillatores, quos analogiae fidei, quam vocant, repugnare, ostendit pridem Dannhauerus (*d*) & Pfeifferus. (*e*) Tantum abest, ut haec sit expositio adeo pia, erudita & elegans, uti quidem ipsi etiam Calixto (*f*) videbatur. Nec aliter sentiendum de diuite & Lazaro, (*g*) quorum vitam & fata enarrabat Jesus, ut doceret auditores *φιλαργυρους*, quam periculosum sit, in bonis huius mundi animum defigere.

§. 10. Varii autem sunt generis parabolae propheticae, siue earũ spectes argumenta, siue etiam formam. Nam ratione habita argumenti, aliae sunt tantum ex parte propheticae, ut illa de operariis in vinea, (*a*) cuius inprimis catastrophe pertinet ad futura in regno Dei; aliae sunt omnino propheticae, in quibus dispiciendũ, num interiorem exhibeant regni statum? ut illa de fermento; (*b*) an exteriorem? ut illa de grano sinapi: (*c*) hae autem vel ad singula regni membra pertinent, ut illa de *πρωτοκλισια*, (*d*) vel ad uniuersam Ecclesiam, ex Judaeis & gentibus colligendam, de eaque praedicunt; vel quae erant simul omni tempo- *Species.*

 re

(d) *Herm. sacr. p.* 456. *ss.* (e) *l. c. can.* 18 *p.* 181. (f) *Concord. IV.* 7. *p.* 187. (g) Luc. XVI. 19. *ss.* (h) *IV.* 14. (*a*) Matth. XX. 1. *ss.* (b) XIII. 33. (c) *ibid. v.* 34. (d) Luc. XIV. 7. *ss.*

re locum habitura, ut illa de satore, (e) vel quae erant temporum sibi inuicem succedentium serie euentura, ut illa de nuptiali conuiuio, (f) quae tota deducitur a fundamento vocationis per euangelium regni, uti illa de seruo malitioso (g) a fundamento legis regiae in hoc ipso regno. Ratione vero habita formae, aliae quidem sunt plenae, proprie παραβολαι nominatae; aliae vero decurtatae & concisae, cuius modi pleraeque sunt Christi similitudines, ut quoque Grotius, (h) & doctissimus noster Paschius (i) obseruauit, magno nuper cum luctu hujus Academiae elatus. Easque Seruator communiter ad institutionem admonitionemque praesentium auditorum suorum comparauit.

Partes.

§. 11. Partes istiusmodi parabolarum sunt eaedem, quae caeterarum: προτασις, sistens expositionem eius, cum quo regnum Christi comparatur, & ανταποδοσις, exhibens expositionem ipsius mysterii, quod comparatione illustratur: haecque cum statim ab initio innuitur, proparabola, cum vero in fine indicatur, epiparabola vulgo audit, licet interdum ad diuersum ea tendat scopum. Satis liquidum hoc Reinhardus (a) fecit, nisi quod is aliquas parabolas confudit cum allegoriis, qualis illa psalmo XIX. coeli enarrant gloriam Dei, teste Paulo. (b) Antiquus hic error, quem iam Azorius, Gillius, Mortonus errarunt, merito suo pridem a Glassio (c) iam confutati, quia parabolae sunt similitudines, in quibus unum confertur ad alterum, non vero unum pro altero ponitur, ut cum Christus dicitur (d) panis vitae. Fefellit autem virum consideratio parabolae de satore apud Matthaeum capite XIII. (e) quod inde a commate XIX. semen & ager translate videntur explicari. Sed hoc pacto

(e) Matth. XIII. 3. *ss.* (f) XXII. 2. *ss.* (g) XVIII. 23. *ss.* (h) *ad* Matth. XIII. 3. (i) *de var. mor. trad. modis c. II.* §. 26 *p.* 161. (a) *Herm. sacr. f. I. p.* 1. §. 11. *p.* 41. (b) *Rom. X.* 18. (c) *l. c. p.* 339. (d) Joh. *VI.* 48. 51. (e) *v.* 3. *ss.*

pacto faciliorem tantum omissam ἀπόδοσιν reddidit Iesus, inscitiae discipulorum subuenturus, docuitque adeo modum, quo quidem instituere accommodationem omnium membrorum voluit. Sane cum audirent, semen esse sermonem Dei, agros animos hominum, ipsis procliue erat, intelligere mentem Christi, quae huc tendebat: sermonem Dei varie in hominum animis accipi. Nec hoc confictum abs me esse, parabola mox sequens de malis herbis ostendit: ubi primum clauis suppeditatur omnium προτάσεως partium, deinde ipsa ἀπόδοσις subiungitur. Euoluat lector, (*f*) & tum iudicet, anne haec ita habeant? quicquid etiam contradicat H. Teelmannus (*g*) cum aliis Batauis, quibus hactenus certe multo accuratior Pfeifferus, (*h*) in re tam manifesta dissentire a veritate non sustinet.

§. 12. Jam opus ante omnia, ut ne confundantur sensus, cum alius sit ipsius προτάσεως, nimirum physicus aut communis, alius ἀποδόσεως, isque semper mysticus, qui duo coniuncti unam efficiunt plenam cogitationem. Hunc enim modum ipsa quemcunque ratio docet, ut per parabolam aliquid declaraturus, duas res diuersas enunciet, quarum utramque necessum est intelligi, ut verba sonant: unde Aristoteles dixit, parabolas fieri a forma ad formam. Nam quod ad arcem caussae pertinet, id alio ex argumento, aliqua ratione simili, illustratur, hocque adeo non propter se quidem, sed propter rem primariam arcessitur euidentiae ergo, & tamen utique peculiarem suam habet sententiam, ut videre est in parabola de euerriculo, in mare iacto. (*a*) Verum non semper ita omnes ac singulae partes assimilato adaptantur mysterio, sed modo in proparabola generatim tantum innuitur ἀπόδοσις his verbis: simile est regnum coelorum huic vel illi rei, uti in parabola de decem virginibus; (*b*) modo in epiparabola am-

Sensus.

(f) *v.* 24. *ff. v.* 36. *ff. v.* 40. *ff.* (g) *specim. explic. parab. p.* 14. & 17. *ff.* (h) *l. c. c. III.* §. 12. *p.* 137. *ff. coll. Hypomn. p.* 139. *ff.*
(a) Matth. XIII. 47. *ff.*

amplius indicatur, vti in parabola de patre familiae, vineam conferente; (c) modo vtroque in loco, illic generatim, hic speciatim, vt in parabola de operariis in vinea; (d) modo plane omittitur, & cogitationi omnino relinquitur, uti in parabola de filio prodigo: (e) ubi tamen e praecedentibus parabolis repetenda est. Et haec quidem ratio est peruetusta, abscondere αποδοσιν, qua maiestati orationis consultum a sapientibus, & simul exitatam auditorum diligentiam fuisse, ex vero coniicit Grotius. (f) Fuit tamen & odium veritatis antiquitus apud gentes inter caussas hujus instituti, vt grauissimi saepe viri aenigmatibus, satyris, dramatis, historiae item veteris imagine in perstringendis moribus vterentur. Ita de catissimo Aesopo; Phryge. Phaedrus, (g) Augusti libertus:

- - - Seruitus obnoxia,
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamque fictis elusit iocis.

Scopus. §. 13. Neque vero vt sensus αποδοσεως propheticus, sic etiam semper scopus atque usus, propter quem parabola proponitur, quippe qui nunc est διδακτικος, ut parabolae de operariis in vinea; (a) nunc παιδευτικος, vt parabolae de satore, (b) & decem virginibus; (c) nunc επανορθωτικος, ut parabolae de Rege, rationes cum seruis conferente, (d) quae ad reprehensionem implacabilis refertur irae, & caetera. Huc enim facit parabola, tanquam argumentum, vel ab uno genere exempli prophetici, ut illa de seruo malitioso; (e) vel a pluribus, uti illa de Judaeis & gentibus, aut non obtemperantibus vocationi, aut male se gerentibus; (f) vel denique ab inductione

(b) Matth. XXV. 1. (c) XXI. 43. (d) XX. 1. 16. (e) Luc. XV. 11. ff. (f) *l. c.* (g) *prooem. lib. III.* (a) Matth. XX. 16. (b) Luc. VIII. 18. (c) Matth. XXV. 13. (d) XVIII. 35. (e) XVIII. 24. (f) XXII. 3. ff. 11. ff.

ctione specierum, ut illa de diuersis agris, diuerse semen excipientibus: (g) nonnunquam vero ipsa parabola cum sua αποδοσει est θεσις, quae ex generali γνωμη, tanquam capite, deducitur ac probatur, ut illa de nuptiali conuiuio Regis, (h) deque conuiuarum in eo praerogatiua: (i) omnes autem ad extremum ad sacram πραξιν tendunt.

§. 14 Aliud ergo est, parabolam considerare ratione sensus, qui in αποδοσει vel expressa vel tacita est propheticus, aliud, ratione scopi, ad quem collimat illa parabolica prophetia. Quantopere enim diuersi nonnunquam sint sensus & scopus, vel ex parabala de seruo iniquo (a) licet perspicere: ubi sensus est propheticus, atque adeo διδακτικος, scopus vero επανορθωτικος, ut modo diximus: ad quem assequendum Christus adhibet rationem a damno, conspicuo in malitiosi fato serui, quod proinde eo praemoneri consilio, atque per parabolam illustrari, expediebat. Προτασις est: ut dominus seruum, cui immensum debitum condonauerat, conserui sui non misertum, tortoribus tradidit; αποδοσις est: sic Deus hominem, cui innumera remittet crimina, implacabilitatis aduersus socium delatum, in custodiam mittet, dum faciat satis; scopus est: ne estote ergo & vos implacabiles, ne eodem etiam nunc vobiscum modo pater coelestis agat. Quo in casu res plane sic habet, uti in simplici genere sermonum, exempli caussa epistolae ad Philippenses capite II. (b) ubi propositio Pauli est παιδευτικη, & pro argumento habet submissionem Christi, quam eo memorat, ut exemplum esset illud, lectoribus propositum, ad quod, tanquam ad speculum, se componerent. Similis quoque locus est literarum Petri capite II. (c) de obedientia Christi, imitanda Hebraeis, per Asiam dispersis. (d) Atque secundum eum praecipue ipsius *Exemplum.*

Dei

(g) Luc. VIII. 5. *ss.* (h) Matth. XXII. 14. (i) Luc. XIV. 11.
(a) Matth. XVIII. (b) *v.* 5. (c) *vid. context. a. v.* 18.
(d) *I.* 1.

Dei scopum considerari & explicari omnino debet quodvis oraculum. Contra quam rationem interpretandi quam periculose vulgo impingatur a Rhetoribus sacris, id peculiarem postulat dissertationem, qua denuo post Wernerum corrupto huic saeculo monstretur, quid illud sit, textum extra contextum considerare.

Stylus. §. 15. In ipsis similitudinibus stylum adhibuit Jesus & figuras, vetusti etiam pacti Vatibus familiares, quos legebant quotidie, & audiebant in synagogis Judaei. Nam etiam Esaias rempublicam Dei vineae comparat; (*a*) Ezechiel & Hoseas sacrarum meminerunt nuptiarum, (*b*) Daniel remissionem criminum vocibus exprimit, quae ad collationem rationum pertinent. (*c*) Tota noui federis gratia, quae contingit per Christum, conuiuio adumbratur, (*d*) quod Jesus uberius explicat Matthaei capite XXII. Quo loco cum refert: iussisse Regem, a ministris hominem male vestitum pedibus manibusque constringi, inque penitissimas compingi tenebras, ubi olim esset ploratus stridorque dentium futurus: (*e*) Joh. Eusebius Nierembergius (*f*) eius eloquium cum Platonico notat concurrisse, quo & Ardiaeus vinculis constrictus exhibetur. (*g*) Vnde non nemini fortean videri possit, Christum euoluisse Platonem, eiusque locutionibus exprimere mentis suae cogitata voluisse, praecipue cum mirum hunc pridem παραλληλισμον Justinus, (*h*) Eusebius, (*i*) Clemens, Theodoretus, alii (*k*) obseruarint. Quid autem ad Judaeos dictione Aristoclea opus Oratori, a Deo profecto? Si vero eo qualiscunque conformitas valet, ut unus ex altero sua traxisse credatur, iam totius fere recentis pacti tabulae ex aliis erunt consarcinatae. Quot enim

(a) *V. 1. ss.* (b) *ille XVI. 8. hic II. 19.* (c) *IX. 24.* (d) *Es. XXV. 6. LXV. 3. s.* (e) *v. 13.* (f) *de orig. sacr. script. lib. &c. XII. p. 445.* (g) *lib. X. de rep.* (h) *in paraen.* (i) *praep. eu. XI. 35.* (k) *apud.* Joh. Spencer. *not. ad Orig. aduersus Celsum.*

enim loca Graecorum Latinorumque scriptorum cum verbis Euangelistarum passim composuere eruditi, Grotius, Pricaeus (l) Picinellus (m) Dougtaeus (n) Stolbergius, (o) in quibus haut paulo pauciora tamen diuersa comparent. (p) At duos pluresue in re eadem saepe ferme iisdem uti dictionibus, quis, quaeso, admodum miretur? Quamuis autem hoc cuiuis facile veniat in mentem, eorum, qui in carceres detruduutur, manus pedesque colligari, hoc tamen ut de malo hospite diceret Jesus, singularis eum mouit ratio. Deinde etiam ex vulgari usu in gratiam Iudaeorum multa desumsit, suoque instituto pro re nata accommodauit, quemadmodum & fecere Talmudistae, ut non necessum sit dicere, eum, a quodam Josua Perachide, vel Elchanane ad literas institutum, (q) parabolas suas ex Hebraeorum schedis mutuatum, qua in re notum est, quanto aduersus Mart. Raymundum studio disputarit Rob. Sheringhamus. (r) Documento nobis est parabola de operariis, in vineam missis, (s) cui plane similis ex Hierosol. Berachoth adducitur a Joh. Sauberto. (t) Complura vero charactere gaudent peculiari, quo singulariora ipsum, quae euentura essent, quasi colore quodam, depingere oportuit, auditoribus tamen non minus, quam rebus semper congruo. Atque haec uniuersa plerumque, uti iam gesta, repraesentat, solemni vatibus more: nam omnis lingua prophetica loquitur de futuro, tanquam de praeterito, cum dictum Dei habeatur pro facto. (u) In prophetica autem ἀποδόσει, ubi ea adiicitur, futura

(l) *in annot. suis ad script.* (m) *in Luminib. reflexis.* (n) *in Analectis.* (o) *in annot. Mf.* (p) *Vid.* Fecht. *de strid. dent.* Mayer. *an Christus legerit Platonem & Terentium?* (q) *Vid.* Mayer. *de praecept. Christi.* (r) *praef. in cod. Joma. Vid.* Pfeiff. *Mataeol. Jud. & Mohamm. p.* 32. (s) Matth. XX. 1. *ff.* (t) *Palaestra Theol. Philolog. Disq.* XII. *ad Luc. XVI.* 22. *f. p.* 277. *f* (u) R. Schelomoh *in Es.* XLII. Augustin. *de C. D.* XIV. 18. *& in Ps. III. XLIV. tom.* 8.

futura proprie indicantur sua notione, sine mutatione temporis, vel exhibentur praesentia, quae omni tempore eodem valitura erant modo, ut fieri in parabola de satore, docuimus.

Virtutes. I. *Iucunditas.* §. 16. Virtus parabolarum, uti caeterarum, ita inprimis propheticarum prima est iucunditas, quod rem sub apta quadam specie repraesentant, atque concinna adumbrant partium conformitate, & plura non raro in una veluti pictura exhibent, simul visenda. Nescio enim, quomodo inuentionis subtilitas & imaginis expressio hominum sensus titillet suauius, & ut multa per vitrum aut succinum pulchrius pellucent, ita magis delectet veritas, si eam per lumina intueamur, & quasi lectis floribus adhae rescentem videamus. Neque tamen hoc eo valet, *An & qualia sint emblemata?* ut aliqua instar floliorum exuberantium ornatus tantum gratia, & quasi obiter adiecta sint, quorum non sit adaptatio inuestiganda: quemadmodum vulgo dicunt, autoritate Johannis Chrysostomi *(a)* abusi. O nimis negligenter inspexere oracula, qui ita statuunt, nec satis adhuc parabolas humanas a diuinis distinxere, in quibus a Christo nihil praeter propositum esse dictum, fixum mihi ratumque est. Glassius *(b)* quidem emblemata agnoscit quoque, sed ea non statim pro inutilibus aut otiosis parabolae partibus habenda censet, uti nec manubrium, & cuspis, & pars obtusa, opposita aciei, quae conducunt in gladio, ut scindere hic fortius atque commodius valeat, dicuntur ad scindendum necessaria non esse, quae est similitudo Salmeroniana. *(c)* Vlterius progressus Pfeifferus, *(d)* scribit, emblematum istorum licere adeo accommodationem tentare, quatenus eam scopus & medulla parabolae (ita cum Hieronymo *(e)* & Glassio *(f)* rem mysticam vocat, *(g)* per illam

(a) *hom. LXIV. in c. XX. Matth.* (b) *l. c. can. V. p.* 348. *f.* (c) *Hom. VII. tract.* 3. *p.* 16. (d) *l. c. hypomn. ad c. III.* §. 13. *can.* 9. *p.* 183. (e) *in cap. XII. Eccl.* (f) *l. c. can. III. p.* 347. (g) *can. XVIII. p.* 181.

illam similitudinem insinuatam) nec non anologia fidei admittunt. Vtitur vero & ipse simili Salmeronis: (h) „soli nerui in cithara atque huiusmodi vasis Musicis aptantur ad cantum, sed ut aptari possint, insunt & caetera in compaginibus organorum, quae non percutiuntur a canentibus, sed ea, quae percussa resonant, his conne-ctuntur." Verba sunt, ex Augustino (i) transsumta, de historia prophetica loquente, (k) non de parabola prophetica: in qua nihil, quod non ad sensum propheticum ἀποδόσεως vel omissae vel non plenae & possit accommodari & debeat, reperitur. At nostri intellectus imbecillitas haec est, & tarditas voluntatis, quod nec capiamus saepe, nec inquiramus solicite, ad quid respexerit Jesus. Quod enim adeo saepe abnormes sint multorum expositiones, qui aliquid hic conati fuerunt, ut Henrici Teelmanni in παράδειγμα diuitis & Lazari, id non a parabolae est natura, sed ab interpretum inertia, ad veram Christi mentem non aduertentium. Et tunc ex falso principio omnia secuta sunt falsa: quemadmodum aiebat Aristoteles, (l) vel modicam a veritate transgressionem discedentibus fieri longe decies millies maiorem. En quam egregie iam tum illi, qui sacram ablutionem olim diutius extrahebant, ut prius voluptatibus seruirent ad satietatem, pro se allegabant parabolam de operariis in vinea! (m) „Neque enim, inquiebant, qui priores in vinea laborarunt, meliore idcirco conditione fuerunt, aequa nempe mercede postremis quoque persoluta: quae praua interpretatio vocatur Gregorio Nazianzeno, (n) & acute admodum refellitur. Nam omnino veritas aliqua est rerum, qualescunque etiam sint sensus, & opiniones, ut denuo in Metaphysicis (o) docet Stagirita.

(h) *l. c.* (i) *de C. D.* XVI. 21. *coll. lib.* XXII. *c.* 94. *contra Faust. Manich.* (k) *de ea re* Glass. *de allegor. sect.* III. *art.* 3. (l) *de coelo* I. 5. (m) Matth. XX. 1. *ss.* (n) *orat.* XL *in sanctum baptisma.* (o) III. 5. *Vid. contra Scepticismum exegeticum*

II. *Efficacitas,* §. 17. Altera nostrarum virtus parabolarum est efficacitas, quod, dum ipsos veluti oculos feriunt, & quasi sub adspectum res ipsas ponunt, dumque ita placent, mentem percellunt fortius. Atque ideo quoque Johannes Chrysostomus (a) parabolis usum fuisse Christum dixit, ινα εμφατικωτερον τον λογον ποιηση. Quis enim non perspicit, hoc pacto & celerius illabi animo cognitionem, & naturalem intellectus caecitatem scintillantibus illis picturae coloribus illustrari, & somnolentiam excuti vehementius? Ea certe ratione suo Judaeos gladio iugulauit Jesus, qui, parabola de vinea (b) audita, ignorantes, quo Dominus tenderet, ad quaesitum eius: (c) cum ergo venerit vineae dominus, quid faciet illis agricolis? responderunt: malos male perdet, & vineam aliis elocabit agricolis, qui suis ei temporibus fructus pendent, (d) adeoque in se ipsos velut Prophetae nescientes sententiam dixerunt, (e) non secus ac postea Pontifex eorum, Caiaphas, fecit. (f) Nam is quoque in edendo diuino sensu de tollendo ob salutem populi Christo, os suum praebuit tantum, ut asina Bileami, & vaticinatus est sine prophetiae intellectu. Ex vero ergo Ezechieli (g) משלים parabolae dicebantur, hoc est, dominantes, quod omnium potentissimae ad conuincendum essent & ad persuadendum. Nam etsi Calouius & Reinhardus (h) eam vocem proprie non parabolas, sed breues ac rotundas sententias, quales quoque erant sapientis Epicuri κυριαι δοξαι, denotare pertendunt: nobis tamen ii non magnopere repugnant. Nam tales quoque γνωμαι plerumque aut exemplum aut similitudinem aliquam includunt, aut certe istis subnituntur, ut συμβολα Pythagorae,

Pfeiffer. *l. c. Hypomn. ad c.* III. §. 14. *can.* 22. *p.* 187. *ss.* & *c. IV.* §. 13 *p.* 216 (a) *tom. IV. hom.* 5. *in Matth. conf. hom. in Ps.* XLIV. (b) Matth. XXI. 33. *ss.* (c) *v.* 40. (d) *v.* 41. (e) *Vid. v.* 42. *ss.* (f) Joh. XI 40. *ss.* (g) XVII. 2. XXIV. 3. (h) *ille Bibl. illustr.* III, *cap.* 1. *Prou. Sal. hic Hermeneut. sacr. p. I. sect.* 1. *p.* 40. *s.*

gorae, a Chaldaeis atque Aegyptiis sic eruditi, quorum istis veluti salibus conditi sermones fuere. (*i*) Et hinc iudicari debet, quantopere parabolicum dicendi genus placuerit Hebraeis, quod quidquid in eloquentia lectum esset ac venerabile, hoc משל vocarent hominum sapientissimi, & Salomon a nobilissima parte totum prouerbiorum aureum librum denominaret, quod figuratum aliquid haberet admixtum, ut quoque Joh. Mercerus, (*k*) Nic. Caussinus, (*l*) & nuper Jac. Gussetius (*m*) adnotarunt. Hincque intelligimus, quales Christus populo parabolas proposuerit, ubi non semper sunt integrae similitudines, sed saepius translationes, interpretatione idpropter indigentes, quod vulgus fere lateant, etsi a rebus saepe vulgatis & notis sumtae sint.

§. 18. Si quaeris: unde illud, quod speciatim propheticas non intellexerint οι εξω; arduae occasionem praebes controuersiae. Pontificii & Sociniani, quod obscuras esse illas, & obscuritatis caussa propositas, contendunt, ταις υποθεσεσι δουλευουσι, illi ut diuinas literas omnino obscuras esse, hi ut Christum, ne perciperetur, studio obscure loqui voluisse, obtineant. Neque vero contra hos temere defendendum puto uniuerse, perspicuas esse: sed discernendas primum partes earum: nam eas certe προτασεις liquidas esse, quarum expressa est luculenta αποδοσις, ut in parabola de euerriculo in mare iacto, (*a*) per se constat. Deinde vero, ubi haec est silentii sipario inuoluta, materiae quoque ab inuicem separandae: nam dogmata fuerunt sic satis clara, quae & intelligi, ad salutem adipiscendam, necessarium erat. Et hic veneranda est Christi sapientia atque cura, quod artificiosa adeo ratione auditores a rebus terrenis abdu- *De perspicuitate controversia.* *Distinctio I.* *II.*

C 3 xerit

(i) *Vid.* Scheff. *de Philos. Ital.* Aland. *de Philos. Symbol.* (k) *in Thes. Sant. Pagnin. voc.* משל. (l) *de eloqu sacra & hum.* *IV.* 54. *p.* 25. (m) *comm. l. Ebr. voc.* משל *p.* 485. (a) Matth. XXIII. 47. *ss.*

xerit & caducis ad contemplationem eorum, quae sunt coelestia atque stabilia, nec nisi mente intelliguntur. (*b*) Prophetiae vero casuum futurorum non item fuerunt clarae, uti nec illae Ezechielis atque Johannis Theologi in diuina Apocalypsi vaticinationes, per tot figuras vel imagines propositae. Omnium enim prophetiarum sublimi adeo dicendi genere editarum, ita comparata est ratio, ut prius, quam habeant effectum, aenigmata fere & ambiguitates sint hominibus. Quo magis vero impletae sunt paulatim, eo euidentius quoque paulatim illae partes comparuerunt. Ita nos docuit pridem Irenaeus, (*c*) & hoc ipsum est, quod ipse Deus innuit apud Danielem: "(*d*) at tu, inquit, haec verba conclude, librumque con-"signa ad tempus (rebus futuris) praefinitum, (cuius "consummatio est aduentus Christi.) Percurrent multi, "crescetque scientia: quando Prophetiis euentus deprehendent tam exacte respondere.

§. 19. Tum & discrimen personarum instituendum:
III, nam obscurae quidem parabolarum propheticarum προτασεις negligentibus fuerunt, nec de αποδοσει solicitis, ut dum familiariter adeo sui regni fata pandit Jesus, stupidis ridiculus labio (*a*) fuerit visus. Hinc non poterant "credere, scribit ad difficilem illum locum Johannis "(*b*) Augustinus, (*c*) quia hoc Esaias Propheta (*d*) prae-"dixit; hoc autem Propheta praedixit, quia Deus hoc esse "futurum, praesciuit. Quare autem non poterant? si a me "quaeratur, cito respondeo, quia nolebant: malam quippe "eorum voluntatem praeuidit Deus, & per Prophetam "praenunciauit ille, cui abscondi futura non possunt. Volentibus sane & quaerentibus non denegata fuit priuata domesticaque institutio, qua parabolae iis sunt euolutae; &, ut pellicerentur hi, ea erat peculiaris prophetiarum Christi parabolicarum dos, quod & apte fluerent

ex

(b) *Vid.* Joh. *III.* 11. (c) *IV.* 43. (d) *XII.* 4. (a) Es. XXVIII. 11. (b) XII. 39. *s.* (c) *tract.* LIII. *in Joh.* (d) *VI.* 9. *s.*

ex re praesenti, nec raris quasi lucidis stellis interstinctae essent, quarum fulgore quoque caetera facta aliquanto fuerunt lucidiora: ut in parabola illa de conuiuio nuptiali. (*e*) Atque hanc esse prophetici sermonis naturam, docet quoque Petrus, (*f*) recte inquiens facere Hebraeos, si in illum sint intenti, tanquam in lucentem in obscuro loco lucernam, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in animis ipsorum. Est itaque & harum parabolarum duplex usus, atque quod magis mirum sit, ad contraria adhibetur: faciunt enim ad inuolucrum & velum; faciunt etiam ad lumen & illustrationem. (*g*) Hincque intelligitur, quid sibi voluerit Erasmus, in luculentissima sua *παραφράσει*, (*h*) eas per insigne *ὀξύμωρον* obscure dilucidas appellans.

§. 20. Denique & tempora illa Christi ab hodiernis sunt distinguenda: nam quae tunc mera caligo fuerunt, nunc sole clarius radiant, cum est innubis dies: postquam ipsa regni sui administratione plurima aperta reddidit Iesus. Adeo tempore vespertino est lux, (*i*) & erit porro, si eam modo assectemur, & scrutemur propheticam. Quod quomodo fieri rite debeat, peculiaris est labos ostendere: nunc nobis sufficiat, parabolarum propheticarum naturam dissertatione rhetorica vel aliquatenus adumbrasse: logicam dissertationem *de interpretatione & usu earundem*, raro admodum argumento, alii seruamus occasioni. Iam gratias agimus Domino nostro, Iesu Christo, quod sponsae suae etiam hoc quasi speculum in manus tradiderit, cuius ope se suamque faciem ac fata perulderet, (*k*) caueretque, ne turpi macula deformaretur. Quod ne contingat nobis, faxit idem clementissimus Iesus, & nostri porro misereatur, ut beati eo perducamur, unde lucet! Γένοιτο, γένοιτο!

IV.

Conclusio dissertationis.

(e) Matth. *XXII.* 3. *ss.* (f) 2. *ep. I.* 19. (g) Verul. *loc. cit.* (h) *ad Marc. IV.* 2. (i) *Vid.* Zach *XIV.* 7. (k) Sandhag. *in epistola Harm. Eu. annexa p. m.* 191. *s.*

ALLO-

ALLOC
AD

N*Uper admodum*
vulgatis Hom
posui: quo ten
parabolis doctrinam de
huc elaborandam. In
neratim iam egere, ca
que hic e Pontificiis Sa
a Pfeiffero quoque cons
cibus praeter Dannhau
Calixtus, alii. Sed de
mentatus fuerit, ut
eas secundum hoc fund
logis Reformatorum
egerunt, quorum no
commonitiones. Qu
Schallere, quod una m
ris, nec verearis etian
eas hoc pacto gloriosa s
Schalleri, magni quon
humaniorum artium
pientiae peruenit. O
parens tuus, Ioh. Ber
bus praeclare merens,
tua causa impensos, op
teratura argumento d
Opt. Max. intellectum
plura, patre viuent
crorum operum prolus
stantis CIƆIƆCCVI

LOCVTIO PRAESIDIS
AD DEFENDENTEM.

admodum est, ut nosti, nobilissime commilito, quod de lgatis Homiletarum vitiis meam ciuibus sententiam ex-ui: quo tempore uniuersam quandam de propheticis eius trinam desiderabam, ex sacra Rhetorica & Logica ad-dam. Ingentem quidem eorum, qui de euangelicis ge-aegere, catalogum texuit Jac. de Montefrio: excellunt-ntificiis Salmeron, a Glassio, e Reformatis Saldenus, uoque consulti, Vorstius item & Sheringhamus: e nostra-Dannhauerum Reinhardumqum, Balduinus, Olearius, ii. Sed de propheticis qui singulatim ac ita distincte com-uerit, ut Rhetor, vix quemquam reperias. Nam qui m hoc fundamentum iam explicare conati sunt e Theo-matorum, Exegetas illi magis, quam Hermeneutas quorum nobis iam currentibus calcar addidere iustae nes. Quis ergo non laudet conatum tuum, dilectissime quod una mecum huius in te laboris partem ultro suscepe-rearis etiam doctorum in consessu palam defendere? Cal-o gloriosa summe reuerendi proaui tui vestigia, Joh. Jac. magni quondam Argentoratensium ornamenti, qui per m artium & scientiarum studia ad decus diuinioris sa-uenit. O quantum nunc gaudebit maxime reuerendus , Ioh. Bernh. Schallerus, etiam hodie de Witteburgensi-re merens, quando intelliget sua vota, consilia, sumtus, npensos, ope Dei eo valuisse, ut de exquisito ex diuiniori li-gumento disputare cum eruditis queas. Illustret Deus intellectum tuum, firmet iudicium, roboret vires, ut tre viuente & vidente, specimina industriae edas, sa-rum prolusiones? Dedi ex museo prid. Cal. Jan. anni in-
DIOCCVIII.